4

# SINOPSIS

## PHILOSOPHIAE MORALIS.

***P. F. FRANCISCI JACQUIER.***

HISPALI
TIPIS BARTHOLOMAEI CARO HERNANDEZ.
ANNO 1821.

# PROEMIUM.

Q. Quid est Ethica? R. Scientia morum, seu quae docet mores regere secundum principia juris naturae.

Q. Quotuplex est? R. Duplex, generalis, quae considerat officia generatim, virtutem nempe et vitium; et particularis quae seorsim hominum officia considerat.

Q. Quot sunt partes praecipuae Ethicae particularis? R. Tres: 1. Quae considerat officia erga Deum: 2. Erga se ipsum, et haec vocatur jurisprudentia naturalis: 3. Quae erga alios et haec politica nominatur. Cave ne nomine politicae, fraudis artem intelligas, pro fundamento enim habet haec alios diligere sicut nos, quod fugat omne dolum.

Q. Quid est jus naturae? R. Legum naturalium scientia: leges naturales sunt principia, quae unicuique facile patent, solo rationis lumine.

Q. Ergo idem est jus naturae ac Ethica. R. Neutiquam: jus naturale est speculativum, Ethica est practica; seu jus docet virtutes esse adquirendas: haec autem quomodo adquirantur.

Q. Quid est jus gentium? R. Obligatio mutua, quam inter gentes ratio constituit, et est primarium et secundarium.

Q. Quid est jus gentium primarium? R. Quod cum societate initium habuit, v. g. civium erga patriam officia.

Q. Secundarium? R. Quod temporum successione natum est, et ex mutua hominum necessitate originem habuit; v. g. dominia, imperia.

Q. Est idem jus politicum, ac gentium? R. Minimé, sed est pars hujus, et est generale, quod nimirum plerisque imperiis est commune, et particulare, quod ad statum aliquem pertinet.

## CAPUT I.

# ETHICAE GENERALIS.

## ARTICULUS I.

### *De moralitatis principio.*

Q. Dixisti tres esse praecipuas Ethicae divisiones; quae respicit officia erga Deum, erga se ipsum, et erga alios: ¿a quo principio fluit hujusmodi obligatio? R. Erga Deum, quia sumus ejus creaturae; erga nos, quia creatore nobis rectus usus facultatum donatus est; erga alios, quia in societate sumus constituti.

Q. In quo consistit moralitatis principium? R. Alii a natura hominis, alii a conscientia duxerunt; nos vero dicimus fluere ex notione Dei et creaturae rationalis; haecque est veluti basis totius philosophiae moralis.

Q. Si tanti aestimanda est haec quaestio, quid quaerimus dum investigamus in quo consistit principium moralitatis? R. Idem ac si quaereremus, quare actiones sint bonae, quare sint malae; utrum nimirum sint bonae vel malae, quia conscientia id dictat, ut dicunt aliqui; an justi et honesti ratio ex Deo justitiae fonte desumenda sit, quod nos asscrimus: seu clarius, quaenam sit regula cui aplicari debeant actiones ut bonae, aut malae cognoscantur.

Q. Firmissimis rationibus probatur haec

quaestio? R. Sane: et quidem quia intellectus divinus est infinitus, errori obnoxius non potest esse sicut hominis, nisi forte ex conformitate intellectus humani cum divino principium desumamus. Praeterea mens affectibus potest esse depravata, et judicare malum ut bonum, ut quotidie observamus in odiis, ubi vindictae nullus est modus. Quomodo ergo poterit esse regula justi et injusti? ergo solus Deus est.

Q. Quid ergo tot homines, qui absque Dei notitia pie, sancteque vixerunt, et quorum mores a SS. PP. commendantur? Hi sane non a Deo, sed a sibi metipsis desumunt principium moralitatis. R. Hi et alii pene innumeri actiones bonas in se operantur, sed sunt actiones malae ob depravatum finem ad quem tendunt, et á motivis, qualia sunt gloria, ambitio; vel saltem non sunt actiones morales: hic non tantum disputamus de principio quod ad societatem satis sit, sed de illo per quod ad rectum finem debent dirigi actiones humanae; jam vero sine Dei notitia nullus est rectus finis.

Q. Ex amore sui nascitur aliorum amor, cum omnes unum efficiamus corpus. R. Sed hic amor debet dirigi ab alio principio, aliunde ad propiam utilitatem converteretur in omnibus actionibus, ac proinde erimus cives, non boni.

Q. Res suam habent virtutem immutabilem, ut ignis et aqua, ita etiam virtus et vitium. R.

Alia est diferentia naturalis, quae desumitur a qualitatibus physicis, haecque pendet ab intellectu divino, adhuc enim seclusa divina voluntate, hanc inter virtutem et vitiun cognosceremus; alia est moralis, per quam actiones moraliter inter se differunt, quae ex Dei voluntate pendet: ita distinguendum inter bonum naturale quod pendet a natura, et morale quod desumitur a principio moralitatis; de hoc secundo loquimur in praesenti.

Q. Virtutis et vitii notio insita videtur. R. Se simul cum Dei notione conjuncta: nega Deum, virtutem et vitium negasti, uti legere est in Atheis, qui nihil honestum esse docuerunt.

Q. Differentia moralis actionum est intrinseca, an pendet ab hominum opinionibus? R. Est intrinseca. 1. Moralitas enim actionum desumitur a divina essentia et attributis, ac proinde non minus est immutabilis quam haec. 2. Ex hominum consensu, quis non horret cogitare nullum esse inter parricidam, adulterum, &c. et virum honestum discrimen? 3. Ex societatis natura; homines ad societatem natos esse nemo est qui dubitet; at si nulla esset inter morales actiones differentia, nullo jure, nulla ratione gubernaretur homo; pro varia utilitatis, commodi, voluptatis opinione agere unicuique licebit; hinc criminum monstra, atque societatis pernicies, et ruina: ergo.

Q. Sed hoc discrimen quod videtur esse, pendet a consuetudine et cautione? R. Neu-

tiquam; sicut a natura veri et falsi notio est insita, ita boni et mali: homo enim tranquilus post affectuum tumultus, se praeteriisse plurimos officii sui numeros fatebitur, et stimulo conscientiae cruciebatur.

Q. Deus usus est sua libertate in mutando bono et malo, ut infinita Scripturae demonstrant argumenta. R. Deus est auctor vitae, et omnium dominus, ac proinde juste postet eripere, et bona et vitam. Deus etiam potest apponere legi naturali quasdam circunstantias, ob quas mutatur ipsa legis materia, quibus positis desinunt esse praecepta legis naturalis, et hoc mutatio impropria dicitur, sed iisdem permanentibus, non potest efficere, ut quod malum est, bonum fiat.

Q. Homines in iisdem positi circunstantiis eodem modo agunt. R. Nego: vir honestus in rebus adversis non secus ac in secundis, aequam servat mentem, non ita superbus.

Q. Si Deus beatos vult efficere homines, non cum anxietate, sed cum voluptate est consequendum, ac proinde sine hac diferentia. R. Haec est perversissima Epicureorum doctrina, de qua satis in praecedentibus est locutum.

## CAPUT II.

### *De Lege naturali generatim considerata.*

Q. Quid est lex? R. *Regula jurta quam actiones nostras liberas determinare tenemur:* ex

quo patet, legem ad rationem spectare, ac proinde rationem aliquam debet habere lex quaelibet, et non pro ratione voluntas; attamen Legislator non semper tenetur notam facere rationem.

Q. Quotuplex est lex? R. Duplex: Divina quae a Deo, humana quae ab hominibus, potestate tamen a Deo accepta, vim habet obligandi.

Q. Quotuplex est lex divina? R. Triplex, aeterna, naturalis, et positiva.

Q. Humana? R. Duplex, ecclesiastica, et civilis.

Q. Quid est lex aeterna? Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem servari jubens, perturbari vetans; seu ea quae statuit, quae necessaria sunt creaturae rationali, ut secundum suam naturam vivat.

Q. Quid est lex naturalis? R. Ipsa lex aeterna creaturae significata solo lumine naturali.

Q. Lex aeterna est immutabilis? R. Utique.

Q. In quo distinguitur a naturali? R. In eo, quod haec tantum addit promulgationem.

Q. Ergo erit idem jus naturale ac lex naturalis. R. Neutiquam: jus enim dixi esse legum naturalium scientiam.

Q. Lex differt a praecepto? R. Differt: illa fertur a persona publica, hoc a privata: illa respicit bonum commune, hoc privatum; illa non spirat morte ferentis, hoc vero spirat.

Q. Quid est lex positiva? Quae non per lu-

men naturale, sed alio signo promulgatur, et haec est mere positiva, si non praecepit, aut vetat quae continentur in jure naturali, seu est naturalis ex parte materiae, si quod naturale est jubet aut vetat.

Q. Quid est lex positiva? R. Quae a Deo lata est.

Q. Quotuplex est? R. Duplex; vetus quae a Moyse, et nova quae a Christo promulgata fuit.

Q. Quid est lex ecclesiastica? R. Quae a potestate ecclesiastica fertur, et hae leges constituunt jus canonicum.

Q. Quid est lex civilis? R. Quae sancitur ab habente potestatem civilem, ut a Rege, et his componitur jus civile.

Q. Quotupliciter considerari possunt principia naturae? R. Tripliciter; alia sunt communia ex quibus caetera derivantur: v. g. agendum est ex rationis dictamine; alia quae ex his proxime deducuntur: v. g. parentes sunt colendi; et alia, quae deducuntur remoté: v. g. usura non est licita.

Q. Est una et indelebilis legis naturalis notio quantum ad universalia proximaque principia: et in lege naturae rationem habent omnes leges? R. Utique; etenim lex naturae in essentia divina et natura rationali fundata est; erit igitur immutabilis ut Deus et hominis natura; erit ergo una et indelebilis. Nec minus certum est, esse apud omnes indelebilem et unam, si primitiva legis naturae principia

spectentur: his docemur vitam et rationem a Deo nos habere; ex quo nascitur dominium Dei, hinc amor, et officia erga Deum, ex ipsa Dei essentia colligitur Deum velle perfectiones hominum; hinc amor erga nos, desiderium felicitatis; ex amore sui ipsius aliorum amor; homo in societate constitutus ope aliorum indiget, hinc erga alios officia &c., ergo.

Q. Et quantum ad principia minus proxima? R. Neutiquam; etenim indiget ratiocinatione et persaepe longiori et difficili, ad quae non prevenitur, aut deffectu ingenii, aut corruptione passionum. Tertium vero, omnes leges in naturali fundari patet, et quidem lex naturalis ex ipsa ratione fluit, omnis autem lex ratione gubernari debet: ergo lex naturalis est omnium legum norma et regula.

Q. Audivi plurimas gentes et quidem cultiores, tulisse leges iniquas, imó et naturae contrarias; ergo hae violarunt prima principia. R. Violarunt legem naturae, non speculative et quantum ad principia universalia, sed practice: leges has esse conformes legi naturae judicabant igitur: error erat in consequentia; v. g. sciebant parentes esse colendos, et dum vitam eripiebant ob vetustatem, credebant se obsequium ipsis praestare: idem dic de aliis.

Q. Lex vetus contraria legi naturae praecipiebat, ut lex talionis, et de vinea aliena tantum sumere quantum vellet quis. R. Lex talionis erat ad reprimendas flammas odiorum, et

ut modus vindictae imponeretur, imo non erat vindicta sed defensio quae non est prohibita; illa enim lex non nisi a Judice imponebatur: lex de vinea in pauperum favorem lata est, ut sitim extinguerent, sed non licebat aliquid domum deferre.

Q. Si eadem non est apud omnes notio quantum ad principia derivativa, ignorari possent haec principia; excusarentur ergo a peccato; nemo autem reus legis naturae excusatur á peccato : ergo. R. Duplex est ignorantia, invincibilis, et vincibilis (ut dictum est in Methaphysica): prima excusat á peccato, non secunda; principia primitiva, nec una, nec alia ignorari possunt, derivativa proxima, solum vincibili, quae non excusat; remota vero ignorari possunt invincibiliter.

Q. Leges non possunt habere rationem in naturali, si sibi invicem contrariantur, et mutationibus sunt obnoxiae; lex enim naturae est immutabilis. R. Pro varia temporum et locorum circunstantia, lex humana potest pati mutationem, quin ipsa lex naturae mutetur; sicut medicina absque mutatione mutat languentibus praecepta, idque ex ipsa lege naturali notum est.

Q. Quid est lex praeceptiva? R. Quae obligat ad agendum.

Q. Prohibitiva? R. Quae obligat ad non agendum.

Q. Permissiva? R. Quae ad agendum, vel non agendum dat jus.

Q. In quo differt permissio tacita ab expressa? R. Quia permissio expressa aliqua lege permissiva comprehenditur, et tacita nulla lege comprehenditur; sicque nulla lex potest permissione expressa permittere malum, sed tantum tacita; sicut se gessit Deus erga Judaeos in libello repudii, et in usura in alienigenas.

Q. Lex naturalis potest abire in divinam et humanam? R. Potest; est enim naturalis, quia natura dictat; divina, v. g. furtum quod vetat Deus in lege veteri et nova; et humana, quod vetat Rex.

Q. Si omnes leges á naturali ducunt originem, omnes leges erunt de jure naturae, et divino, et non humano. R. Neutiquam; sed lex, quae proxime ducit originem a naturali, non quae tantum ducit originem remote, ut lex humana.

Q. Lex antiqua fuit imperfecta, et inutilis? R. Non fuit inutilis, quia praecepta moralia continebat, officia hominum; et etiam nunc obligant haec praecepta; nec fuit imperfecta in se, sed respectu novae legis cujus erat figura. Judiciala, formam judicii pro illo populo constituebant; coeremonialia erant ritus, qui magna mysteria continebant, et significabant, praecipue Mesiam, in cujus adventu cessare debuit lex vetus.

Q. Sibi invicem adversantur leges, et simul concurrunt. R. Apparenter tantum: dum fit concursus plurium legum, quae fortior est, ea observanda est; jam vero fortior est, naturalis,

ideo si caetera concurrunt simul, prius naturalit est observanda; si v. g. opera charitatis concurrunt simul cum auditione sacri, hoc est ommittendum.

## ART. II.

Q. Quid est obligatio? R. Connexio motivi cum actione; et vocatur positiva, si motivum connectat cum actione Legislator; at vero si ex natura sua jam sit connexum, ut honor debitus v. g. parenti, dicitur naturalis.

Q. Quis est auctor obligationis? R. Deus, creavit enim omnia.

Q. Lex positiva indiget promulgatione? R. Utique; aliter enim voluntas legislatoris constare non potest, ideoque nec obligare.

Q. Quando incipiunt obligare leges? R. A tempore quo in lege exprimitur; si nihil dicit, ab ipsa promulgatione.

Q. Quid est imputatio? R. Judicium quo agens declaratur causa libera effectuum, qui ex ipsa actione consequuntur, sive boni, sive mali sint.

Q. Ergo ut imputetur actio debet esse libera. R. Ita est, qui enim necessario agit, aliter agere non potest: loquimur hic de necessitate physica, non de morali.

Q. Ergo actiones brutis imputari nos possunt. Ita est, carent voluntate, nisi forte quis teneatur impedire aliquas actiones brutorum, ut si quis noverit canem esse mordacem, et

eum per urbem libere vagari permiserit, non bruto imputatur, sed domino: idem dicendum est de rebus inanimatis.

Q. Quae dicta sunt de brutis dicenda veniunt de actionibus humanis? Utique: sunt enim naturales; ut si ventriculus non fungatur rite suis muneribus, non imputatur homini, nisi forte sit ob gulam, &c. ita de evagatione ad objectum aliquod.

Q. Imputantur actiones, quae non sunt actus liberi? R. Sufficit ut fuerint liberi in causa praecedenti, ut somnium impudicum, ob caussam datam imputatur.

Q. Necessum est, ut causa praecedens fuerit positiva? R. Neutiquam; satis est eam fuisse negativam, ut si quis oblitus fuerit eorum, quae meminisse tenetur.

Q. Quaenam ignorantia imputari potes? R. Tantum vincibilis, alia enim non est voluntaria.

Q. Quaenam libertas requiritur ad imputationem? R. Non solum a necessitate, sed et a coactione.

Q. Quando dicitur aliquem coacte agere? Quando agit impulsus vi externa.

Q. Quando coacte patitur? R. Quando alterius actioni vim resistendi non habet.

Q. Quid fierit debet in coactione, ut actio non imputetur? R. Debet fieri resistentia, si enim aliquid voluntatis misceetur, imputatur.

Q. Actio invita potest esse non coacta? R. Potest, et etiam imputabitur, sed minus quam

actio plene voluntaria.

Q. Quid est metus? R. Mentis trepidatio ob malum imminens.

Q. Quotuplex est? R. Duplex: gravis, et levis.

Q. Quid est metus levis? Q. Ille in quo timetur malum leve.

Q. Gravis? R. In quo timetur malum grave, ut mors, exilium.

Q. Quid est metus gravis absolute? R. Qui in omnibus ut malum grave reputatur.

Q. Quid est metus gravis respective? R. Qui licet in se grave non sit malum, grave tamen est respectu metuentis; ut metus pueri, mulieris, &c.

Q. Reverentialis? R. Timor habendi parentem, vel superiorem infensum.

Q. Metu minuitur voluntarium? R. Minuitur sed non tollitur; ideo actio imputatur, nisi forte rationem perturbet.

Q. Quot sunt genera praeceptorum? R. Duo, negativa et affirmativa; negativa quae vetant, praeceptiva quae jubent.

Q. In quibus praeceptus homo excusatur metu? R. In negativis naturalibus non excusatur ob quemlibet metum; ita non licet ferre testimonium falsum ad servandam vitam; at afirmativa naturalia non obligant pro quovis tempore, et in quavis circunstantia; nissi omissio vergat in contemptum fidei, aut in detrimentum reipublicae, vel in scandalum; si haec absint cessat obliga-

tio: ita culpa immunis est, qui metu mortis non praestat necessariam opem proximo.

Q. Quid debet attendi ut actio dicatur bona? R. Omnes et singulae circunstantiae; si omnes sint bonae, bona erit actio; si una omnes sit mala, actio erit mala, bonum enim ex integra causa, malum ex quoqumque defectu.

Q. Quinam erraverunt circa obligationem legum? R. Carneades, qui ex utilitate hominum sancita judicavit jura; ita fons juris naturae fuisset utilitas. Hobbesius fere eadem statuit, sibi enim persuassit nullam dari legem naturae, ac ad bellum natos fuisse homines. Spinosa credidit animum non esse liberum.

Q. Quid sentis? R. Dari obligationem, omnemque a divina voluntate emanare. Actum esset de societate, si unusquisque suo arbitrio vivere posset; hinc injustitiae, perfidiae, crudelitas, &c.; si enim dicant; haec frenari posse legibus civilibus, ergo Deus omnium parens et dominus curare debuit de legibus quibus regeremur. Si ergo datur obligatio, non est dubium quin legum naturalium et divinarum obligatio a Deo emanet: igitur solum de humanis in quaestionem vocari potest, jam vero haec a Deo emanant; et quidem Deus pro qualibet temporum, et circunstantiarum varietate ordinem vult et ab aeterno decrevit hunc ordinem: sed pro diversa circunstatiarum et temporum varietate et con-

ditione emergunt diversi casus definiendi ab aliqua auctoritate; ergo: sed ad hos casus non sufficit naturalis, nec divina lex: ergo alteram auctoritatem debere esse, lex naturalis, ratio, et Deus postulant: ergo pariter Deus et ratio postulant hujusmodi obligationem.

Q. Ad quid valeret libertas? credendum ergo obligationem a policia ortam fuisse. R. Libertas et ratio deserviunt, ut distinguamus verum a falso et apparenti, imo si tollatur obligatio ad nihil deserviret ratio. Salne ad commune societatis bonum tendunt omnes leges, sed privata utilitas non est hoc bonum, nec quod nobis videtur utile id faciendi jus habemus.

Q. Non arguitur recte; non datur Deus: ergo nec obligatio. sicuti nec ita, non datur Deus, ergo nec veritas. Athei enim cognoscunt differentiam inter veritatem et falsitatem; ergo subsistit obligatio in hypothesi Athei: ergo non emanat a Deo. R. Athei negando Deum, et obligationem negare tenentur, si velint stare suis principiis; illud discrimen est inter intellectum et voluntatem, quod judicium intellectus in propositionibus sit necessarium, at determinatio voluntatis est libera, itaque intrinseca differentia satis non est ad obligationem, ideoque accedere debet Dei voluntas.

Q. Atheus cognoscit officia erga alios. R. Nego; quia haec officia emanerent ab obli-

gatione tantum politica, quae officia constituere non potest.

Q. Leges civiles non emanant a Deo, aliquando enim evertunt jura. Leges iniquae non sunt verae leges: dum dicimus potestatem Regum emanere a divina, dicimus immediate tantum generatim, sed mediate etiam privatim.

Q. Dantur leges poenales, dispensationes &c. in lege naturali nulla potest esse dispensatio: ergo a Deo emanere non possunt. R. Etiam jus naturae exigit privilegia et dispensationes. Sed claritatis gratia....

Q. Quotuplex est lex poenalis? R. Duplex, mere poenalis et mixta ; et iterum est disjuntive, et conjuntive; v. g. nemo extrahat pecuniam, et qui extraxerit, centum nummos solvat.

Q. Quid est lex mere poenalis? R. Quae poenam dumtaxat decernit: v. g. qui frumentum extraxerit solvat centum nummos.

Q. Mixta? R. Quae praeter praeceptum decernit poenam.

Q. Dantur leges mere poenales? R. Si intelligatur lex disjunctive expresa dantur, utrumque enim absque culpa potest eligere quis; sed hae non sunt verae leges.

Q. Quid est dispensatio? R. Juris provida relaxatio, superioris auctoritate ad tempus concessa.

Q. Est licita dispensatio in lege naturae, aut divina? R. In lege naturae nec Deus dis-

pensare potest; in divina nullus homo.

Q. In legibus positivis est licita? R. Licita, si adest causa, non vero si haec abfuerit.

Q. Quid est privilegium? R. Exemptio a lege in gratiam alicujus, per modum legis perpetuae concessa; et eadem dicta habeto, quae de dispensatione.

Q. In quo differt ab illa? R. Dispensatio non est per modum legis, nec in perpetuum, et privilegium non nisi in bonum commune conceditur, cum sit lex.

Q. Quid est consuetudo? R. Jus in prima sui origine non scriptum, usu, consensuque tacito introductum, quod succesu temporis vim legis adquiritur.

Q. In quo differt á lege? R. Lex est a Principe, et statim scriptis mandatur; consuetudo a populo, et usu, consensuque tacito illius invecta est.

Q. Quid requiritur,ut vim legis habeat consuetudo? R. Quod respicia bonum commune, est enim lex; quod Principes non contradixerint, vel contradicere desierint, ut certo tempore a lege definitio vigeat: hinc ad argumentum; omnia haec exigit etiam lex naturalis, ut fiat aliqua mutatio pro temporum et circunstantiarum varietate, et in gratiam aliquorum ob servitia in rempublicam, ergo conforme est legi naturali dispensare, &c.

Q. Dantur actus indifferentes? R. In spe-

cie dantur, non individuo; nam deambulatio neque bona in se neque mala est: ergo. Rectae rationi conformandae sunt actionas, et ob finem aliquem semper est agendum, si finis est bonus, bona evadit actio; si malus mala: ergo.

Q. Quaelibet actio habet bonitatem lege praescriptam; vel malitiam vetitam; ergo sunt indifferentes, alioquin nulla esset differentia inter actiones indifferentes in se, et in individuo. R. Quaelibet actio suam habet bonitatem, vel necessariam, vel hypoteticam, non praecisse semper necessariam; haec est differentia inter actiones in se indifferentes, et praescriptas, quod praescriptae habent bonitatem intrinsecam, saltem quatenus bonitas intrinseca opponitur arbitrariae; et indifferentes, non nisi extrisecam habent.

Q. Si actio quaelibet ad Deum refferri debet tanquam ultimum finem, peccata forent infidelium opera: id est falsum: ergo. R. Quaelibet actio saltem implicite, hoc est ex motivo alicujus virtutis et honestitatis fieri debet, ideoque actiones infidelium sunt bonae bonitate naturali, sed non possunt esse bonae in ordine supernaturali.

Q. Dantur actiones indeliberatae; ergo. R. Sed hae actiones non sunt humanae; ideoque ad physicas refferri debent; hic loquimur de deliberatis.

Q. Qui omittit consilium agit actionem indiferentem. R. Qui omittit consilium gaudens

de sua libertate, ut officio suo satisfaciat, recte agit, sed non, ut nihil agat.

### A. III.

Q. Quid est praemium? Q Bonum cum actione connexum, tanquam motivum ad eam committendam, vel omittendam.

Q. Quid est poena? R. Malum quod actioni ad eam committendam, vel omittendam tanquam motivum à Legislatore adjungitur.

Q. In quo differt praemium a mercede? R. In eo, quod praemium nullam obligationem importat in conferente, merces vero importat.

Q. Quid est poena naturalis? R. Malum cum actione necessario connexum.

Q Quid est poena positiva? R. Malum connexum cum actione ex Legislatoris voluntate: similiter et praemium.

Q. Post corporis mortem manent bonos praemia, malos autem poenae? R Utique, et 1.° anima nostra libera est et rationalis; ratione noscit actiones ad Deum debere dirigere; ergo non moritur instar belluarum, sine praemiis pro recto usu, vel sine poenis pro facultatum abusu: alinnde, Deus hominibus praescripsit leges; sed plerumque in hac vita non praemiat bonis naturalibus observantes illas, nec castigat transgresores; ergo manent post hanc vitam proemia, vel

poenae; nullus enim lesgilator non urget ad observantiam praemiis et poenis: ergo nec Deus; nisi dicamus nullum constituisse ordinem in rebus. 2. Ex justitia divina: injustus est qui affligit bonos, malos autem sinit prosperare; jam vero si nullae essent poenae et praemia in altera vita Deus affligeret bonos, faceret malos prosperare, cum hoc plerumque in mundo contingere videatur: ergo: sed Deus injustus non erit; ergo si affligit bonos in hac vita, malos sinit prosperare, superest unis altera vita praemii, aliis vero suplicii.

Q. Ergo Deus erat debitor creaturae? R. Neutiquam, sed sibi.

Q. Repugnat poenas in altera vita esse aeternas, quia non sunt aequalia peccata, quae brevi finiuntur: repugnat esse temporales, esset enim spes aliqua: ergo. R. Repugnat sane esse temporales ex natura animae, sed non esse aeternas; nam peccatnm est infinitum ratione objecti, et meretur poenam infinitam,

## CAPUT III.

### *De hominis beatitudine.*

Q. Quid est beatitudo formalis? R. Est boni quaedam species, quae perficit statum nostrum estque intra nos.

Q. Objectiva? R. Bonum extra nos posi-

tum, quod nos beatos potest efficere.

Q. Quid est virtus? R. Habitus actiones legi conformiter dirigendi; si est habitus conformandi actiones legi ob motiva revelata, dicitur Christiana; si ob intrinsecam earum bonitatem, philosophoica: dicitur *habitus*, quia non sufficit unus aut alter actus, sed requiritur quaedam facilitas.

Q. Quid est vitium? R. Habitus actiones legi contrarias committendi, vel omittendi legi consentaneas.

Q. Quomodo definitur aliter virtus? R. Perpetua ac constans voluntas sui, aliorumque perfectionem, et divinae gloriae manifestationem promovendi.

Q. Quid est timor filialis? Q. Quo timetur ofensa Dei.

Q. Servilis? Quo quis timet puniri a Deo. Duo sunt distingenda in timore servili, intrinsecum et extrinsecum; intrinsecum nempe fuga poenae, quae bona est; et accidentale quo peccator abstinet ab his quae male concupiscit, et est malum; includit enim voluntatem peccandi.

Q. Quid est spes mercenaria? R. Quae in bonis naturalibus conquiescit; si spectetur beatitudo, teologica dicitir.

Q. In quo consistit beatitudo formalis? R. Fuerunt hac de re plures sententiae: alii in honoribus, alii in divitiis collocarunt; alii in tranquilitate et pace, nimirum in minori infelicitate, sed absque Deo haec haberi non

potest; alii in voluptatibus, *sed nos dicimus consistere in exercitio virtutis;* etenim in ilio consistit beatitudo quod hominis appetitum satiare potest, quantum potest in hac vita; sed sola virtus, non caetera bona possunt satiare &c.; ergo. Min. ostenditur; quid enim de anxietatibus Tiberii, Caligulae, Neronis, aliorumque, qui inter fortunatos viros primum locum tenent, referunt historiae? E contrario, de pace virorum afflictorum, sed virtute praeditorum? ergo.

Q. Homo virtute praeditus non est semper felix. R. Felicitate externa, sed est felix interna et vera; hinc homines feruntur in haec bona naturalia, quia ibi credunt inventuros felicitatem, *sed pax, pax, et non erat pax.*

Q. Plurimi Philosophi constituebant felicitatem in virtute, et non erant felices. R. Quia non erant praediti vera virtute.

Q. In omni actione bona invenitur *rectum* seu quod in essentia hominis habet rationem; *honestum*, seu quod obligationi, ac juri naturali est consentaneum; *utile*, seu quod usui nostro inservire potest, et *jucundum* seu quod nos delectat? R. Utique.

Q. In quo consistit beatitudo objectiva? R. In solo Deo; beatitudo enim est status, qui melior excogitari non potest, quique si constans, et stabilis; sed &c.: ergo. *Inquietum est cor nostrum, donec perveniat ad te, qui creasti me.* S. Aug.

Q. Deum non possumus possidere: nulla

est enim proportio inter finitum et infinitum. R. Non est proportio entitatis. Sed est habitudinis, seu adhaesionis, quod idem est ac possessio.

Q. Ergo mens humana potest intueri essentiam divinam, et comprehendere. R. Potest cognoscere cognitione imperfecta; non vero perfecta et comprehensionis.

Q. Objectum infinitum non posse attingi nisi per cognitionem infinitam. R. Nego: mens finita potest versari circa infinitum, sed finito modo.

Q. Menti finitae sufficit bonum finitum; ergo. R. Mens est finita intrinsece, sed est infinita extrinsece, ideoque exigit bonum infinitum, saltem objective.

## A. II.

Q. Quid est conscientia? R. Judicium de actionum moralitate, utrum bonae sint, an malae, utrum committendae, vel omittendae.

Q. Quid est judicium theoreticum? R. Quae actiones bonas vel malas esse affirmatur.

Q. Practicum? R. Quo affirmatur esse committendas, vel omittendas.

Q. Quid est conscientia recta? R. Judicium verum: erronea vero, falsum.

Q. Certa? R. Judicium, quo de veritate sumus convicti.

Q. Probalis? R. Judicium tantum probabile.

Q. Dubia? Illa qua dubitamus utrum judicium sit verum, an falsum.

Q. Scrupulosa? R. Judicium, quo quis veretur levibus motivis actionem esse malam.

Q. Est idem conscientia dubia, ac vera? R. Neutiquam.

Q. Quid est conscientia antecedens? R. Quae dictat actionem esse bonam vel malam, antequam agatur.

Q. Consequens? R. Quae dictat post factum.

Q. Sine lege potest esse conscientia? R. Non; nam illam tantum habemus, quatenus judicamus actionem esse bonam vel malam, quod non nisi per legem judicatur.

Q. Qui agit cum conscientia erronea peccat? R. Peccat, quia agit cum animo peccandi.

Q. Ergo erit morum regula conscientia erronea. R. Si conscientia est vincibilis, homo peccat, sive agat secumdum illam, sive contra, quae necessitas peccandi est tantum hyporetica, potest ejicere errorem; si vero invincibilis, non peccat quis.

Q. Qui agit cum conscientia dubia peccat? R. Peccat; quia sese exponit periculo peccandi.

Q. Quod probabilius est, es vèrum? R. Non est semper verum.

Q. Quid debet agere agens cum conscientia probabili? R. 1.° Inquirere an habeat intelligentiam de re ad ferendum judicium, et

si caret, non sine periculo opperatur. 2.° An sufficientem adhibuerit. 3.° Explorare ante actionem, et post; saepe enim nos fallit amor propius. 4.° Cum conscientia dubia, semper agendum quidquid remotum est a periculo, sive quod tutius est. 5.° In quolibet casu semper licet sequi opinionem probabilem, quae favet praecepto, relicta probabiliori quae favet libertati.

Q. His positis, quid sequendum credis circa probabilitatem? R. 1.° Non licet sequi conscientiam probabilem, quae favet libertati in concursu aeque probabilis, quae favet praecepto. 2.° Non licet sequi opinionem minus probabilem, quae favet libertati in concursu probabilioris, quae favet legi. 3.° Licet sequi opinionem probabiliorem, quae favet libertati.

Prob. 1.ª pars: Qui sequitur opinionem aeque probabilem agit cum conscientia dubia; sed tunc debet sequi tutior pars, id est, quae favet praecepto. Prob. 2.ª A fortiori, si non licet sequi aeque probabilem pro libertate, nec licebit sequi minus probabilem pro libertate. Prob. 3.ª Licet sequi opinionem, quae est rationi conformis, et naturae nostrae conveniens, jam autem probabilior, quae favet libertati est hujusmodi; innititur enim motivis gravioribus, ac proinde motiva opposita apparent levissima, et contemnenda, et errandi formido, aut nulla tunc erit, aut parva.

Q. Quae favet libertati rationi consentanea

est, nititur enim gravissimis rationibus. R. Definiendum est quid per gravissimas rationes intelligatur, et tunc judicabitur secundum jam prius dicta.

Q. Satis est in praxi opinio, quae virorum doctorum auctoritate nititur; ad quem confugiet plebejus nisi ad pastorem? R. Nemo dicet aliquem esse sapientem medicum, qui omissis tutioribus remediis minus probabilia propinet; itaque plebejus, qui pastoris sententiam sequitur in his, quae invincibiliter ignorat, excusatur, non vero si vincibiliter ignorat.

Q. Perpetuis anxietatibus cruciaret homines probabilior, utrum recte judicaverint; et semper probabiliorem sequi teneremur. R. Solum seqvenda est tutior, quando utraque non sit tuta, ut in concursu aeque probabilium.

Q. Potest esse opinio tutior et falsa? R. Utique.

Q. In obscuris minimum est sequendum, odia sunt restringenda, favores ampliandi. R. Haec tenent in dubiis facti; non in dubiis juris, quale est dubitare de lege: etiam in dubio de admisione criminis, vel culpae, pars tutior est magis benigna: in dubiis juris, seu de licito, et illicito, qui sequitur benignitatem sese exponit periculo peccandi.

## PARS II.

## CAPUT I.

### *De officiis hominis erga Deum.*

### A. I.

Q. Debetur Deo cultus internus? R. Utique; creavit enim nos, ex quo nascitur *amor:* qui amat alterum nihil agit quod ei displiceat, hinc *timor filialis*, atque *obedientia;* qui noscit ejus infinitam bonitatem non vult nisi quod ipse vult, hinc *fiducia*, quae si tendat ad excellentiorem vitam spectando illam, est *spes:* sed his perficitur cultus internus: ergo.

Q. Debetur etiam cultus externus? R. Utique; quia enim creavit animam ejusque dotes ad suam gloriam, debet ei cultum internum, sed etiam corpus a Deo accepimus ejusque facultates: ergo corpus ad ejus gloriam tendere debet; sed non potest aliter, quam cultu externo, sive invocatione &c. 2. Gratias Deo agere debemus ob accepta beneficia, et alios saltem exemplo perducere, sic; enim significando animum gratum, magis, ac magis promovetur gloria Dei. 3. Curandum nobis est, ut pietas nostra arguatur et confirmemur ipsa, ad hanc ergo confirmandam juvant summopere signa exteriora seu ri-

tus, et praecipuae ab Ecclesia instituta; sed his absolvitur cultus externus: ergo.

Q. Cultus externus repugnat scientiae et bonitati Dei, non enim est opus oratione, sed quae necessaria esse novit, ultro largitur. R. Supremum Dei Dominium exigit, ut totus homo colat Deum; si homo non oraret immemor beneficiorum, tribueret causis secundis, quae solius Dei sunt, ideoque constituit conferre bona mediantibus his actionibus, quod decretum non est absolutum, sed hypoteticum, ideoque non mutatur Deus.

Q. Deus non delectatur adulatione; sed cultus externus est adulatio: ergo. R. Cultus externus non est adulatio, sed grati animi significatio, et dominii protestatio.

Q. Multi sine praecibus impetrant quae desiderant; é contrario alii cum praecibus. R. *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis;* Deus etiam aliqua bona largitur sine praecipibus, quia remunerat bona eorum in hac vita; alios vero non exaudit, quia novit melius quibus indigeamus et consulens bono nostro negat.

Q. Christus ait: *Deum adorandum esse in spiritu et veritate:* ergo. R. Sed non ait, tantum in spiritu et veritate, sed significat cultum externum, internum comitem habere debere.

Q. Ad pietatem non valent ritus, qui dissensiones movere possunt, et oriuntur a Gentilium superstitione; aliunde ritus nihil ex se

significant, sed ex hominum arbitrio: ergo. R. Certe si sola religio naturalis spectatur, unicuiqui pro suo arbitrio ritus instituere licebit, sed ex corrupta, et nefanda rituum varietate demonstravimus necessitatem revelationis; ex ipsa, societatis pernicies, nisi suprema sit in his definiendis auctoritas; haec est Ecclesia in ritibus Christianis; ritum originem demonstrant libri sacri non fuisse a gentibus; si qui communes sunt, nihil officit, cum eorum sanctitas ex fine, et aprobatione Ecclesiae desumenda sit.

## A. II.

Q. Quot sunt officia hominis erga se ipsum? R. Tria, alia quae pertinent ad mentem, alia ad corpus, et alia ad statum externum.

Q. Officia hominis erga animam quae sunt? R. Perficere intellectum, et voluntatem.

Q. Quomodo perficitur intellectus? R. 1.° Cognitione veri. 2. Vacando praecipue his studiis, quae in boni, malique cognitione versantur, atque vitae instituto sunt magis consentanea.

Q. Et voluntas quomodo perficitur? R. 1. Curando ut appetitus sensitivus cum rationali consentiat. Compescendo affectus, id est, hic in actus externos legi contrarios erumpant. 3. Regendo eos, id est, dirigendo ad

actiones legi conformes. 4. Sedando, id est, dando operam ut extinguantur.

Q. Quae sunt officia erga corpus? R. 1. Conservare se debito modo: ergo sanitas tuenda, vitandus nimius labor, a cibo et potu insalubri, et nimia quantitate abstinendum. 2. Comparare necessaria labore.

Q. Potest homo occidere se ipsum? R. Neutiquam; quia ipse non est dominus vitae, sed Deus, qui sic concessit, ut homo conservet illam: sancti qui sic fecerunt, ex instinctu Dei fecere.

Q. Ergo non erit licita corporis aflictio? R. Licita est, et quidem quando dixi, nos teneri conservare nos, id intellexi nullum damnum inferendum nobis esse, non vero non affligendum nos; tenemur enim sedare affectus, crimina expiare, de futuris praecavere, quod fit afflictione: ergo non solum est licita, sed aliquando necessaria; at vero si grave sequatur detrimentum, non est dubium quin respectu illius non sit licita.

R. Licet interficere injustum aggressorem vitae. R. Utique; dummodo nulla supersit via ad nostram conservandam; tunc enim non intenditur occisio, sec nostrae vitae conservatio.

Q. Et ob bona temporalia? R. Neutiquam; sunt enim minus bona, quam alterius vita.

Q. Quaenam sunt officia erga se quantum ad statum externum? R. Electio illius vitae generis, ad quod utiliores sumus; sed haec,

utilitas non est pensanda ex propio, sed praecipuae ex communi bono.

Q. Debemus conservare famam? R. Omnia si perdas, famam servare memento.

Q. Quomodo repellitur callumnia? R. Factis, si videant caeteri in nobis facta contraria, et verbis, si calumniae falsitas opponatur.

Q. Licet calumnias calumniis retorquere? R. Neutiquam; non enim fama vindicaretur, sed admitteretur.

Q. Quid est duelum? T. Singulare certamen ad ulciscendas injurias.

Q. Est licitum? R. Neutiquam, vanissimus est enim honus, qui in legis naturalis violatione consistit; qualis est honos dueli.

## A. III.

Q. Quot sunt officia erga alios? R. Tria, quantum ad mentem, ad corpus, ad statum externum.

Q. Quid est amor proximi? R. Constans et perpetua voluntas benefaciendi aliis.

Q. Licet odisse proximum? R. Neutiquam; nec erga alios indifferenti debemus esse animo.

Q. Si suo erga nos officio dessint? R. Non ideo sumus liberi, quare et inimicos diligere tenemur.

Q. Amor hic, quo inimicos diligere tenemur, est idem ac amicitia particularis, seu

familiaris consuetudo? R. Neutiquam; licet sit idem ac amicitia universalis, quam modo definivimus.

Q. Quid ergo est amicitia particularis? R. Animorum honestate, moribusque similium mutua cum caritate arcta conjunctio; haec amicitia dicitur complacentiae, altera vero benevolentiae.

Q. Alia ergo erunt officia unius, et alterius amicitiae? R. Utique; sic per amorem universalem tenemur velle bonum inimicis, opem ferre &c.; non vero beneficiis, muneribusque cumulare, grati animi officiis eum prosequi, familiaritatem exoptare, quae sunt officia amicitiae particularis.

Q. Per amicitiam universalem debemus esse seduli in propagandis virtutibus intellectualibus, et moralibus? R. Utique; atque nostram industriam minime desiderari patiamur; et secundum, praecipue exemplum, cujus est maxima vis.

Q. Ergo peccant qui seducunt alios. R. Non solum peccant, sed et a vitio revocare debent, si id facere liceat.

Q. Licet laedere alios? R. Neutiquam; quod enim tibi non vis, alteri ne feceris.

Q. Ergo peccabunt medici qui propinant medicamenta, quorum vires ignorant. R. Utique.

Q. Quid est furtum? R. Surreptio rei alienae in vito domino.

Q. Licet furari? R. Neutiquam; est pecca-

tum, et gravius pro qualitate, quantitate, atque domini paupertate.

Q. Licet labefactare alterius famam? R. Neutiquam; ideo aliorum imperfectiones et vitia propalare non licet; multo minus calumniari, quod enim tibi non vis, alteri non feceris: excipe tamen, celari deberi ea crimina, quae puniri, reipublicae valde interest.

Q. Quot sunt genera officiorum? R. Duo, perfecta et imperfecta.

Q. Quid sunt officia perfecta? R. Ea ad quae homo necessario obligatur, sive ex justitia v. g. neminem laedere: unicuique quod suum est tribuere &c.

R. Et imperfecta? R. Ea ad quae homo sine coactione, ex sola virtute obligatur v. g. eleemosina &c.

## CAPUT II.

### *De jurae naturae politico.*

### A. I.

Q. Quid est societas? R. Hominum coetus ad promovendum bonum commune.

Q. Quid est societas simplex? R. Quae ex singularibus paucisque hominibus coalescit, v. g. societas herilis, nuptialis, &c.

Q. Et composita? R. Quae ex aliis societatibus componitur.

Q. Quid est respublica? R. Magna hominum multitudo in societatem coalescens, ad bonum commune conjunctis viribus promovendum.

R. Quid est Monarchia sive Regnum? R. Respublica, in qua potestas est penes unum.

Q. Aristocratia? R. Respublica, in qua potestas est penes Optimates.

Q. Democratia? R. Respublica, in qua potestas est penes populum.

Q. Quid est jus primitivum? R. Quod eandem ac homo habet antiquitatem, et est immutabile, ut officia filiorum erga patres, civium erga patria.

Q. Secundarium? R. Quod temporum successu et pro circunstantiarum necessitate est introductum, ut mutua civium officia.

Q. Jus politicum fundatur in jure naturali, et ex eo originem habet? R. Utique ratione enim jubente tenentur homines suae securitati, tranquilitati, et felicitati prospicere; sed absque societate civili haec prospici non possunt; non enim potest quis sine hac, suo jure frui tranquile, adversus aliorum vim se defendere: ergo ratio, et natura dictant societatem civilem; sed societas civilis sine imperio quo regantur populi actiones, stare non potest: et quidem si libertate naturali quislibet esset arbiter in natura corrupta, tanta libertas confusionem, et perturbationem gigneret, quod ut experirentur Persae, et ut magis infidelitate Regis futuri confirmaren-

tur, consuetudo obtinuit, ut per quinque dies, eefuncto Rege, in anarchia viverent, et nemo erat qui in tanta devastatione, et scelerum licentia Principis necessitatem non sentiret: ergo imperium, seu jus politicum &c.

Q. Principis auctoritas destruit libertatem?
R. Non destruit; confunditur a multis subjectio tanquam laedens libertatem; natura hominis exigit libertatem, sed exigit etiam subjectionem, hacque subjectione libertas civiles, est ipsa libertas naturae, spoliata eo jure, quod homines abuti possent.

Q. Societas civilis ex usurpatione potius habuit originem; sed hoc repugnat hominis naturae: ergo R. Loquimur hic de jure, non de facto; itaque semper vignit societas civilis. Parentes a primis incunabilis erant jure naturali Principes, atque subjecti filii, illorumque auctoritatem semper agnoscebant, absque discrimine aetatis in tanta senectute, facile potuerunt relinquere filios haeredes, qui familiam gubernarent, et concesso fratribus jure regerentur; crescente familia nulla est dubitatio quin pro sua libertate unum elegerint homines ad tuendam pacem: ergo vel ex paterno jure orta est societas, natura duce, vel ex hominum voluntate, sed prospiciente suae utilitati, natura duce, vel jure belli.

Q. Homo natus est ad bellum, ut probant affectuum tumultus. Et quidem homines in bona omnia aequale jus habent, occuperet

ergo quisque quantum possit, et ea conservet, hinc mutuum bellum. R. Qui suae conscientiae testimonio attendit, non potest non cognoscere hominis naturae repugnare bellum nisi justa sit causa ad tuendam rempublicam &c.; in statu felici in nullius dominio erant res positae, sed perseverabant in communione negativa; at vero post peccatum, cum cresceret hominum multitudo, impulit necessitas ut in res ipsas, quae ad familiae conservationem, vitamque traducendam, dominium aliquod induceretur; et dominium originarium, et eadem necessitate introductum, quod derivativum appellant, in alios scilicet jure adquisito, vel adventitio translatum; non est talis homo ut in communione negativa vivere possit.

Q. Si homini est naturalis societas, jam ergo peccant religiosi illi qui viam austeram degunt in eremo. R. Hi sunt etiam in societate et juvant orationibus, Principibus obediunt, et subveniunt in necessitatibus, oportet ergo esse in societate qui implorent divinam misericordiam; multis enim modis confertur ad bonum commune.

## A. II.

Q. Quomodo respublica promovere poterit virtutes intellectuales? R. Erigendo scholas et academias.

Q. Quis docentium numero est adscribendus? R. Non alter, quam qui in scientia et arte quam profitetur excellat; docendi facilitate polleat, et ab omni absit negligentia, et sit probus.

Q. Quomodo his dotibus praediti invenientur? R. Si stipendia satis liberaliter, et praemia asignentur; si ab honoribus, et dignitatibus non arceantur; alioquin munus docendi ipsos fastidiet.

Q. Quid debet optare Magister a discipulis? R. Ut amorem sibi conciliet; vitanda est nimia severitas; et cavenda suorum nimia libertas.

Q. Quid amplius debet respublica curare? R. Ne numerus litteratorum sit reipublicae onus; debet fieri ingeniorum delectus, alios arcere convenit, excellentioribus, si defuerit sumptus, feremda opes.

Q. Quid debet curare circa virtutes morales? R. Ut liberi rite educentur; in virtutis exercitio, vitiorumque fuga instituantur; pro adultis sint optimi Pastores; sint poenae pro transgresoribus legum, justitia servetur; sed quoniam detrimentum in moribus pariunt spectacula, corrigenda sunt, ne pro corrigendis moribus venenum instilent.

Q. Cui competit auctoritas spiritualis? R. Ecclesiae; Principibus tamen religiosis com-perit, ut fidei morumque sanctitas vigeat, ideo-poenis coercere possunt transgresores.

Q. Debet in respublica tolerari atheismus? R. Impissima est, atque etiam societati civili perniciossima falsae cujuscumque sectae et praecipuae atheismi tolerantia; et quidem te-netur respublica, sola religione naturali, co-gere poenis subditos, ut officia erga Deum, erga se, et erga alios praestent; si autem id exigit religio naturalis; quanto magis reve-lata, cujus necessitatem demonstravimus? jam vero qui falsam religionem profitentur, officio Dei, ac proinde omni vero dessunt offieio; ergo: et certe, quando divisa est respublica sectarum varietate, turbatam esse oportere non est qui dubitet, si noverit odium quod excitare solet fanaticum falsae religionis stu-dium, et evolverit tristissimos nonnullorum imperiorum annales, intestina bella, et ali-quando eversiones solii; attamen nihil socie-tati beatius, si conjuncta est cum mutuis of-ficiis, quae vera prescribit. 2.ª vero pars: cum Deus sit moralium actionum fundamentum, su-blato Deo, mutua officia auferri necessum est; sed athei negant Deum: ergo.

Q. Dices: Deus ad fidem vocat gratuito, nec est in nostra potestate, ideoque Princeps cogere non potest. R. Potest Princeps prohi-bere quod in nostra potestate non est, si id vergat in detrimentum reipublicae; sic

furiosis non est potestas reliquendi furiam, et tamen recluduntur: ergo, etsi non liceat cogere ad fidem, pertinet reprimere audaciam, ut alios non pervertant, hoc est circa actus externos.

Q. Ins. Hanc auctoritatem non exercuerunt viri religiosi, imo et Ecclesiae auctoritas non est erga infideles, et judeos: ergo nulla vi cogi possunt, et praecipuae cum civilis ad res supernas non pertineat. R. Ecclesia potest directe cogere haereticos, qui sunt subditi, licet hoc pariter Principi, sicut etiam directe vetare idolatriae cultum; sed etiam indirecte potest cogere infideles, vel multis, vel segregando a fidelis consortio &c.

Q. Atrocissima bella quae religionis praetextu exarxere opposita sunt Ecclesiae mansuetidini, sicut etiam quaelibet poena afflictiva. R. Christiana charitas jubet ut aeternae hominum saluti invigilemus, hortamentis, blandisque mediis; at si secta quaelibet pervertere alios possit; et tranquilitatem reipublicae turbare, jam in eos saevire licet, si enim id nos liceret potestati civili christianae, nec caetera crimina poenis gravioribus castigare liceret: ergo id mansuetudini aliquando consentaneum est.

Q. Ex his sequeretur societatum ruina: etenim sicut Religio Catholica tota esset in extirpandis caeteris religionibus, ita pariter quilibet Princeps alterius sectae totus esset in extirpanda Christiana; cum quisque suam esse

veram sibi persuadeat; hinc mutua bella, et impedimentum ad propagandam Christianam. R. Poenae spirituales, quae Ecclesiae competunt, nullo modo possunt turbare tranquilitatem societatis: non dicimus auctoritatem civilem sub quoquolibet religionis praetextu exerceri licere, sed solum quando turbanda esse videtur pax, bella aliqua possunt esse juxta, sed quando? non est nostrum de his judicium ferre; tantum dico id fieri non pose sine examine maturo.

## A. III.

Q. Quid est curandum in republica? R. Ne defficiant necessaria vitae, ergo ut floreat agrorum, sylvarumque cultura, ut artefacta floreant, non solum ob necessitatem, sed etpropter rationes politicas, ut constituantur annonae, et praetia quantum licet taxentur, id est, ne absque taxa foveatur avaritia, ne cum illa commertium, reipublicae anima, languescat.

Q. Debent esse Ergastula? R. Utique; tantaeque sunt utilitatis, ut vix miser ullus, infirmitati ejus consulendo, otio diffluerct, si in unaquaque provincia pauperes recluderentur, atque via intercluderetur; ut sub necessitatis praetextu non laborem, sed otiosam vitam quaererent plurimi, et vitiis deditam:

pariter ergo esse debent Xenodochia vel Nosocomia.

Q. Luxus est utilis societati? R. Ex luxus diversa definitione oritur duplex et contraria decisio: si per luxum intelligatur moderata profusio, secundum uniuscujusque statum, vel aliqua inter status differentia, non est dubium quin sit utilis, imo necessarius societati, postulat enim societas, ut diversi sint gradus; debet ergo esse inter illos dissinctio; aliunde sumptuum liberalitas intra justos limites deservit ad perficiendas artes, ad augendas artificium fortunas; ad comercium amplificandum. Si vero per luxum intelligatur abusus, prodiga et superflua pecuniarum effusio, quam excitat superbia, et ostentatio, non est dubium quin sit societati pernitiosissimus; imprimis et vitium, aliunde pestem hanc ad occasum usque perduxisse Romanum imperium non est qui ignoret; luxu enim ad molitiem labuntur mores, sola placet voluptas, nullus amor patriae, nulla legum observantia.

Q. Quomodo possunt augeri opes subditorum? R. Si caveatur ne pecunia in exteras deferatur nationes; abstinendum ergo a mercibus peregrinis, sed hic cautione est opus; si fodinae utiles non negligantur, si florent artes, et scientiae; si urbes sint sic constructae et exornatae, ut vel 1. ocasione discendi, vel 2. explendi curiositatem, excitant juvenes nobiles, et exteros ad iter faciendum:

si ludi immoderati prohibeantur.

Q. Coelibatus est utilis societati? R. Si numerus coelibium non sit nimius, utilis est; et quidem interest reipublicae et religioni esse viros ab omnibus curis alienos, ut instituendae juventutis onus subire possint, quod a parentibus, aliis distractis curis, fieri non potest: religioni; animae puritas singularis, decet sanctitatem mysteriorum; aliunde oportet ut aliorum saluti invigilent assidue ministri, officiis suis diligenter incumbant, quod sane praestare facile non possent non coelibes: dixi, non sit nimius, quia curandum est etiam, ne minor sit civium numerus, quam qui ad reipublicae necessitatem, salutem, et defensionem satis sit.

Q. Coelibatu minuitus numerum civium, praeterea Deus imposuit praeceptum de nubendo *crescite* &c. ergo. R. Nihil interest aliquantulum minui numerum civium, si inde sint boni cives, ut consequi potes recta educatione per coelibes: praeceptum illud *cressite* non singulis hominibus in individuo est impositum, sed generi humano, imo tanquam perfectionem statum comendat virginitatem Christus in Evang.

Q. Saltem a sapientioribus legislatoribus est prohibitus; ad testimonia publica non admittebantur coelibes apud romanos: ergo. R. Exempla exemplis opponantur: Apud AEgyptios Isidis sacerdotes, et alii ministri castitatem profitebantur, Brachmanes pariter, et

Gymnosophistae &c.; et apud ipsos romanos erant virgines Vestales, quarum supiicium horrendum pro castitatis violatione notum est, ut nimirum vivae sepelirentur: ergo abusum prohibebant.

Q. Quid est polygamia? R. Uxorum pluralitas simultanea.

Q. Et licita? R. Minime: et quidem finis matrimonii est sobolis procreatio: et bona educatio, quae vix obtineri possunt; vix enim fieri potest, ut idem sit viri in singulas amor; hinc jurgia, rixae, invidiae, quae gubernationenm turbant.

Q. Si illicita est, cur illam permissit Deus? R. Ad multiplicandum populum Dei; sed pariter suppeditavit auxilia, quibus pax servaretur, ac proinde abstulit circunstantias quae eam reddunt illicitam jure naturali.

Q. Quae virtutes sunt necessariae inter conjuges? R. Fides, castitas, mansuetudo, prudentia, aeconomia, sed praesertim, pietas, et religio: ut uxor viro subjiciatur, est enim hic caput mulieris, sed haec non est serva.

Q. Quaenam cura debet esse parentem erga liberos? R. Ut hi doceantur omnia officia erga Deum, &c. debent illos amare, et prospicere de conservandis opibus ipsis necessariis, et ut fiant membra, sibi, et reipublicae utilia.

Q. Et filii quid agere debent? R. Debent esse subditi patriae potestati ad tempus usque a legibus praefinitum, et animo grato esse in illos in omni aetate, atque semper

aguoscere se esse illorum debitores; in necessitatibus subvenire.

Q. Quis vocatur tutor? R. Ille, cui committetur cura pupili.

Q. Quodnam jus competit tutori in bona pupili? R. Nullum praeter administrationem, et facultatem in educationem impendendi fructus neccessarios: excipe necessitatem pupili; tenentur illum amare, loco enim patris est; ejusque vices gerit.

Q. Debet esse inter familiam concordia? R. Utique; fratres amare se debent, mutuum sibi praestare auxilium, minorem majoribus honorem deferre.

## A. IV.

Q. Quid est commercium? R. Rerum superfluarum cum necessariis, vel utilibus permutatio.

Q. Quibus exercetur commercium? R. Vel rebus naturae, vel solius industriae, vel naturae, et industriae simul.

Q. Quot sunt partes commercii? R. Septem: *Agricultura*, *manufacta*, *artes liberales*, *piscandi industria*, *navigatio*, *cambium*, *et coloniae*, quarum notiones ex ipsis nominibus patent.

Q. Quando nam coepit commercium? R. Initio mundi; Cain enim fuit agricola, Abel

pastor ovium, Tubalcain moleator; hae diversae artes permutationes supponunt, seu commercium, in quarum locum substituta sunt metalla.

Q. Qualis fuit secunda Epoca? R. Inventio pecuniae, cujus nomem accepit a pecudibus, quibus fieri solebant contractus; praecipuae et prima inter regiones Assia fuit commercii sedes.

Q. Et 3.ª Epoca commercii quando coepit? R. A tempori Alexandri Magni, aedificata Alexandria, Indiarum, et Occidentis velut commercii centrum.

Q. Quot fuere causae commercii? R. Tres 1.ª Necessitas, atque utilitas. 2.ª Dominiorum institutio. 3.ª Luxus, atque cupiditas.

Q. Commercii exterioris quaenam sunt principia? R. Inter plurima 1.ª rerum superfluarum exportatio; certum lucrum, praecipuae si industria perficiantur. 2.ª Materiae primae exportatio plerumque noxia, praecipuae si exportetur, et elaborata advehatur; advectio vero, ut a domesticis industria perficiatur maxime utilis esse potest: 3.ª Rex exterae, quae domesticarum consumptionem impedium, et artes retardant, aut luxum fovent, natumnis ruina. 4.ª Quod natura negat industria suppleat.

Q. Quid est contractus? R. Pactum duorum, aut plurium consensus in idem placitum, obligationis constituendae aut tollendae causa.

Q. Quomodo distinguitur contractus? R. *Re*, *verbis*, *litteris*, *et solo consensu*. *Re*, traditione: *verbis*; sermone: *litteris*; in scripto littere vero ad contractus essentiam non pertinent, sed solum sunt testimonium obligationis, quae solo ex consensu nascitur.

Q. Quot sunt spectanda in contractum obliblationes? R. Tria; intellectus, voluntas, et materia.

Q. Quid est intellectus? R. Cognitio materiae contractus, ne cui fraus, et damnum inferatur; ideo *minoris* contractus rarius obligant ob immaturitatem judicii, sed in his tempus ad contrahendum taxatur a lege: ad defectum intellectus etiam pertinet error circa rem contractam, vel qualitates aestimabiles, quae licet legibus civilibus irritum tantum reddant contractum, naturae jure nullus est.

Q. Voluntas? R. Consensus in contractum, quo defficiente nullus est, talis potest esse absolutus, et conditionatus.

Q. Metus reddit nullum contractum? R. Si sit metus gravis ad extorquendum injuste consensum irritus est; si est levis, aut non est ad extorquendum injuste consensum, valet.

Q. Materia? R. Quod contractus fiat de re licita, sui juris, et nulla lege prohibita.

Q. Quid est venditio? R. Permutatio rei pro pecunia; pecuniae vero pro re dicetur, emptio.

Q. Quid est contractus onerosus? R. Qui

onus imponit in utroque contrahentium: v. g. emptio.

Q. Et non onerosus? R. Qui in uno tantum contrahentium imponit onus: v. g. depositum, mandatum, commodatum, mutuum.

Q. Quid est mandatum? R. Contractus, quo quis rei suae usum gratis alteri concedit.

Q. In quo distinguitur commodatum a mutuo? R. In eo, quod in commodato redditur eadem res; v. g. idem equus; in mutuo res fungibiles redduntur non in specie, sed in genere, v. g. aliud triticum.

Q. Quid sunt res fungibiles? R. Quae numerari, metiri, vel ponderari possunt, et usu consumuntur.

Q. Quid est depositum? R. Contractus quo quis rem alienam a domino commissam gratis custodiendam suscipit.

Q. In contractibus beneficis, ad quam culpam tenetur qui onus suscipit? R. Ad latam, seu negligentiam crassiorem.

Q. Quid est jusjurandum? R. Actus religiosus, quod ad rem dubiam confirmandam Deus testis et vindex invocatur, quod ut recte fiat debet habere comitem veritatem, judicium seu necessitatem, et justitiam, id est, ut sit de re licita, et honesta.

Q. Quid est juramentum promissorium? R. In quo aliquid promittitur: si autem affirmatur aut negatur dicitur assertorium.

Q. Assertorium dividitur in aliud? R. Utique; in *voluntarium*, si extra judicium sponte fiat;

*necessarium*, in quo alteruter litigantium coram judice provocatur; et dicitur *judiciale*; *et purgatorium* quod exigitur ad repellendam imperfectam probationem criminis.

Q. Quid est votum? R. Promissio religiosa facta Deo, qua ad bonum melius et possibile nos adstringimus melius; non absolute, sed suo opposito.

Q. Quid est usura? R. Mutuum in quo exigitur aliquid supra sortem, ex *vi mutui*.

Q. Requiritur, ut id quod exigitur sit pecunia? R. Minime; sufficit, ut sit praetio aestimabile.

Q. Quare dicis *vi mutui*? R. Quia si exigitur ob lucrum cessans vel damnum emergens non est usura.

Q. Quid est lucrum cessans? R. Lucrum quod ex pecunia mutuata cessat ei qui mutuat, id est quod poterat probabiliter evenire, si non mutavisset.

Q. Quid est damnum emergens? Ilud quod sequitur mutuanti ob mutuum; sed tam damni emergentis, quam lucri cessantis debet esse certa causa.

Q. Sufficit ut lucrum sit possibile? R. Neutiquam; debet esse probabile, et pro gradum probabilitatis deductis expensis exigemdum est.

Q. Usura est prohibita jure naturali? R. Utique: et quidem alienam miseriam debemus sublevare quantum in nostra est potestate: sed exigendo usuram ex pecunia, quae nec est necessaria: nec in usus convertenda,

non solum non sublevatur, sed et augetur pauperis miseria: ergo.

Q. Montes pietatis sunt usurarii, exigunt enim aliquid supra sortem, et tamen approbati sunt ab Ecclesia: ergo. R. Montes pietatis exigunt supram sortem ob damnum, quod aliunde emergeret, si ex cumulo essent alendi administratores; igitur, qui utilitatem accipiunt, administratorum labores debent compensare.

Q. Commodum suum habet pretium: ergo pariter pecunia quae commodatur. R. Nego paritatem: nam in commodo est usus; ergo et pretium aestimabile: pecunia non est fructifera: ergo nullus est illius usus: ergo nec debet habere pretium; hinc in commodato manet rei dominus commodatarius; ita ut si res pereat, periit ipsi domino; at mutuatarius transfert dominium pecuniae ad tempus; quae si perit, non perit mutuatario; hinc non potest dici commodari, sed mutuari, et ob eamdem rationem statim patet, toto coelo differt mutuum a locatione, et conductione.

Q. Quid est locatio? R. Contractus, quo pro certa mercede, rei nostrae usus alteri conceditur; si conceditur opera, est *conductio*.

Q. Res nec alteri locari, domino inscio? R. Neutiquam, nec fieri potest deterior, nisi quatenus exigit necessarius rei usus.

Q. Quid est interesse simplex? R. Lucrum ultra sortem.

Q. Et compositum? R. Lucrum ultra sor-

tem, ob sortem, et lucrum.

Q. Quid est mohatra? R. Contractus, quo quis vendit rem pretio summo, solvendo elapso aliquo tempore; sed cum pacto, ut emptor ei retrovendat praetio infimo eandem.

Q. Quid est, contractus societatis? R. Conventio duorum aut plurium, qui ad negotiationem, quaestumque communem conferunt pecuniam, operam, industriam, aut aliquid praetio aestimabile.

## A. V.

Q. Quomodo transfertur dominium? R. Vel *facto domini voluntario*, vel *vi legis naturalis* et *civilis*, quod fieri potest vel inter vivos, vel in evento mortis.

Q. Quomodo transfertur 1. modo? R. Donatione, vel contractivos *inter vivos*, et testamentum, ob eventum *mortis*.

Q. Quomodo transfertur vi legis? R. Ab intestato.

Q. Quid est testamentum? R. Voluntatis domini de rebus suis in eventum mortis transferendis declaratio; quae dilucide probari potest, quod vi legis naturalis valet, nisi desint requisita a lege civili amposita ad praecavendam fraudem, utilitamque communem prospiciendam.

Q. Qui praeferendi sunt in succesione ab

intestato? R. Liberi, patres, cognati &c. hanc praesumitur defuncti voluntatem esse.

Q. Sunt aliae rationes adquirendi dominium? R. Utique; praecipua est praescriptio, seu usucapio.

Q. Quid est praescriptio? R. Adquisitio dominii per possesionem bonae fidei continuatam, tempore per legem definito.

Q. Quisnam vocatur possesor bonae fidei? R. Qui rem alienam, sine vi aut dolo possidet, vel ex causa probabili credit rem esse suam.

Q. Praescriptio est justus titulus dominii? R. Utique; aliunde animi omnium dominorum incertitudine turbarentur, et lites numquam finirentur, et quidem a suprema potestate possidente in res ultum dominium, de quibus pro bono communi disponere potest, cautum est ad pacem, ut transferantur dominia praescriptione, quod quidem etiam tenet in conscientia.

Q. Si ante praescriptionem dubitemus de dominio rei? R. Inquiri debet quisnam sit dominus, qui si fuerit inventus restituatur.

Q. Et si perii res? R. Perii domino, non possesori bonae fidei.

Q. Et si in proprios usus est consumpta? R. Tantum tenetur possesor bonae fidei ad id, in quo factus est ditior, aut ex ipsa re, aut ex fructibus ipsius, deductis expensis, sed non ex his, qui sola industria sunt adquisiti.

Q. Si rei inventae dominus non compareat? R. Illud Senecae: *Dabo egenti sed ut ipse non egeam.*

## A. VI.

Q. Quid est interest Regi quantum ad tranquilitatem? R. Constiture judices ad definiendas lites, castigandosque criminosos; hi sint bene morati, instructi, et prudentes.

Q. Quid amplius debet prospicere? R. Tempore pacis inire pacta cum Principibus, conjugia, alere milites, condere arces, instrumenta parare, et praecipue pecunias quae nervum sunt reipublicae congerere, servare fidelitatem, custodire sancta jura Legatorum &c.

Q. Est necessarium bellum? R. Aliquando sed cum sit calamitas maxima, debent esse causae justae; sed de causis belli, de justitia, aut injustitia, ad subditos non pertinet judicare.

## SECTIO II.

## CAPUT I.

### *De virtutibus moralibus.*

Q. Quid est virtus Theologica? R. Quae Deum immediate respicit, ut fides, spes, et charitas.

Q. Moralis? R. Quae circa mores versatur.

Q. Sunt necessaria fides, spes, et amor? R. Utique, 1.ª tum interna, tum externa, ut demonstrat interni, et externi cultus obligatio; itaque abstinendum ab his, quae dubitationem ingerere possunt, qualis est lectio librorum perversorum; multo magis a negatione fidei: 2.ª ut antea est dictum; ex his oritur Religio.

Q. Licet in persecutione fugam arripere? R. Utique, nisi forte sit Minister, sciens deficere alios ad confirmandos fideles.

## A. II.

Q. Quaenam est prima et praecipua erga se virtus? R. Cognitio sui ipsius.

Q. Quomodo adquiritur? R. Ex aliis nos ipsos examinando, et historias legendo.

Q. Quid est prudentia? R. Habitus exequendi in quavis actione particulari sapienter, seu conformiter legi decretum est.

Q. Quomodo adquiritur prudentia? R. Praecipue experientia; juvat autem historiae lectio.

Q. Quid est sapientia? R. Habitus quo fines actionibus convenientes praescribimus, et rationes ad finem obtinendum aptiores elegimus.

Q. In quo difert á prudentia? R. In eo, quod exequitur prudentia, quod sapientia decrevit.

Q. Quid est fortitudo? R. Virtus, qua in vitae periculis et miseriis, secundum rectam rationem, divinamque legem animum moderamur.

Q. Quis ergo dicitur fortis? R. Qui absque metu officia praestat, quae praestare debet, et paratus est subire mortem potius quam peccare.

Q. Quid est patientia, quae ex fortitudine nascitur? R. Virtus qua res adversas aequo animo, divinaeque voluntati summisa, toleramus.

Q. Quid est magnanimitas? R. Virtus fortitudinis in rebus bellicis; hic non intelligitur furor bellicus, qui non est virtus: ergo magnanimitas regitur ab amore patriae, publicaque salute, non a gloria et honore.

Q. Quid est temperantia? Virtus quam ciborum, voluptatumque usum juxta rectam rationem, divinamque legem moderamur.

Q. Quibus mediis adquiritur? R. Considerando, intemperantia vires corporis; et menti enervari temperancia vero vitam produci, *plures occidisse gulam quam gladium.*

Q. Quid est castitas? R. Temperantia ab omni actu libidinoso.

Q. Quid est justitia? R. Virtus dirigens sui ipsius et aliorum amorem secundum sapientiam, et dicitur universalis; quae autemexercetur in coutractibus ut sine dolo fiant, commutativa.

## A. III.

Q. Quid est mansuetudo? R. Virtus omnem erga alios offensionem removens: hujus comites sunt veritas et taciturnitas.

Q. Quomodo adquiritur? R. Considerando omnes nos vitiis plenos esse; atque essa inter naturales virtutes amabiliorem.

Q. Quid est liberalitas? R. Virtus hominum actiones dirigens circa opes gratis in alterum conferendas.

Q. Elemosinae? R. Quae aegentibus ad vitae necessitatem gratis erogantur.

Q. Est idem magnificentia ac prodigalitas? R. Neutiquam; illa enim est insignis liberalitas, haec vero est luxus.

Q. Quid est humilitas? R. Virtus, qua ob bona sive animi, sive corporis, sive fortunae supra alios minime nos efferimus.

Q. Quomodo adquiritur humilitas? R. Si imperfectiones consideramus &c.

Q. Quid est modestia? R. Virtus, quae actiones nostras secundum rectam rationem, divinamque legem circa honorem dirigit.

## CAPUT II.

*De vitiis.*

Q. Quaenam vitia opponuntur officiis erga Deum? R. Praeter recensita in appendice Metaphisicae, superstitio, divinatio, astrologia judiciaria, desperatio, et blasfemia.

Q. Quid est superstitio? R. Veri aut falsi numinis cultus vitiosus, atque inordinatus.

Q. Quid est blasfemia? R. Crimen, seu scoelus, quo divinum nomem profanatur.

### A. II.

Q. Quid opponitur nobis? R. Negligentia studii sui ipsius; sic efficitur homo superbus, arrogans, ambitiosus &c.

Q. Quid est superbia? R. Vitium, quo quis supra alios sese efferre non dubitat.

Q. Quid est ambitio? R. Insatiabilis honorum cupiditas.

Q. Quid est temeritas? R. Vitium, quo quis se obstrudit gerendis negotiis ad quae minime est idoneus.

Q. Quic est ignavia? R. Vitium, quo quis in suis officiis praefuntorie obeundis, laborem, periculumque detrectat.

Q. Intemperantia potest esse in quantitate, et qualitate. R. Utique in quantitate, si nimius sit cibus, in qualitate si sit exquisitus.

Q. Quid est ebrietas? R. Vitium, quo vini

intemperantia mentis exercitium turbatur, et est ilicita, et supra modum deprimis homines.

## A. III.

Q. Quaenam opponuntur aliis? R. Odium, et vindicta de quibus jam satis est dictum; invidia et avaritia.

Q. Quid est invidia? R. Vitium, quo alienis bonis, sive mentis, sive fortunae, quis invidet, et est pernitiosissima aliis, et invidenti potius.

Q. Quid est avaritia? R. Vitium, seu appetitus inordinatus divitiarum, officiis erga Deum, erga nos, et erga alios adversus.

## A. IV.

Q. Quid est affectus seu passio? R. Actus animae quod aliquid vehementer appetit, aut adversatur.

Q. Quid est appetitus? R. Propensio animae ab objectum aliquod pro ratione boni; in eo percepti; et est sensitivus, ut dictum est, si oritur ex notione confusa boni; et rationalis, si ex clara; quibus contraria est aversio.

Q. Quotuplex est appetitus? R. Duplex, concupiscibilis, et irascibilis.

Quid est appetitus concupiscibilis? R. Modo definitus est.

Q Irascibilis? R. Aversio a malo confusse percepto.

Q. Ergo erit idem affectus concupiscibilis

ac amor, et irascibilis ac odium? R. Utique; et quia amor excitat laetiam, odium vero tristitiam ad hos affectus etiam revocari possunt.

Q. Quinam sunt affectus amoris, seu laetiae? R. Ambitio, gloria, fiducia, grati animi sensus.

Q. Et odii, seu tristitiae? R. Invidia, ira, metus, desperatio, aliique innumerabiles.

Q. Affectus sunt boni, an mali? R. Si affectuum nomine intelligis animi motus, qui ad rationis normam componi possunt, sunt utiles; si vero inmoderatos et absque regimine sunt mali; et quidem nec ratio, nec lex prohibet ex salutare, ex honorum possesione laetitium capere, imo connaturale est homini adversus malos irasci, tristari de malo &c. ergo.

Q. Potest homo duobus affectibus contrariis simul indulgere? R Neutiquam.

Q. Quae consideranda sunt in affectibus? R. Necessitas quae oritur ex sanguine spirituumque animalium motivus utilitas, quia ratione regi possunt; perversitas a peccato originali; et haec induitur nomine concupiscentiae.

Q. Quomodo sedantur affectus? R. Vigilando, compescendo eorum initia, *principiis obsta* &c. sed remedium divina gratia exoptanda precibus.

FINIS.